



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hviſs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXVI. An Deo recte voueatur Paupertas & Obedientia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

## XXXV. ANTICHRISTIANISMVS.

**V**OTA nulli sunt bono; adeoque non vltus Dei cultus; vt sit *ἑθελωτησικεία*, seu voluntaria supersticio. Suntque cum vetere lege stirpitus sublata.

**CHRISTVS. I.** Promisi ac præstiti, & præstabo: Mat. 19. *Vos, qui secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis: Et sedebitis, iudicantes XII, Tribus Israel.* Sap. 3. *Quæ nesciuit thorum in delicto, dabitur ei fidei donū clectum.* I. Cor. 7. *Dico innuptis & viduis: Bonum est, si sic permanserint, Et Vidua beator erit, si sic permanserit.* Quam gloriosæ hæc sunt utilitatis?

**II.** Vouere autem, Deum est insigniter colere. Isa. 19. *Colent Deum in hostijs & muneribus: Vota vouebunt, & soluent.* Nec aliud insignius sciebat, quod Deo præstaret, quam, Gen. 28. quod *Votum vouit Jacob.* Itemque Dauid, 2. Reg. 7. Idque voluntarium, minimeque præceptum. Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 56.*

**III.** Neque ego *veni soluere legem, sed adimplere;* Mat. 5. Hocque amplius legem de Votis reddendis; quò lex gratiæ esse perfectior debet Lege vetere seruitutis. Cùm autem in hac Lex de Votis Moralis fuerit, non solui eam, sed adimpleri perficique oportuit per veros Adoratores in Spiritu & veritate: Veluti prædictum Isa. 19. *Vota vouebunt Domino, & soluent.* Sin: 1. Tim. 5. *erunt habentes damnationem; quia primam Fidem irritam fecerunt.*

Tametsi igitur omnia Veteris Testamenti Ceremonialia, & Iudicialia voluerim antiquata; Moralia tamen confirmari tantò solidius, quale *Vouere Deo* est. Quocirca, Deut. 23. *Si nolueris polli-*

*ceris, absque peccato eris: Si voueris, non tardabis reddere.*

## QVÆSTIO XXVI.

*An Deo rectè voueatur Paupertas, & Obedientia?*

## XXXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

**L**VTHERO-CALVINISTÆ damnant vtramque *ἑθελωτησικεία*, seu superstitionis. Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 59.*

**CHRISTVS. I.** Ego sic volui, & docui, Mat. 5. *Beati pauperes spiritu:* non paupertate Afflictionis; non Humiliationis; sed voluntate non diuites, Et non diuites, seu pauperes Actu, sed non affectu; neque pauperes actu simul & affectu. sed pauperes Affectu, etsi non actu. Hi enim sunt hilariter & sponte effecti, humiles; &, licet omnia habentes, nihil tamen possidentes. Hunc in sensum istius beatitudinis concedit omnis S. Patrum consensus.

2. *Quoniam talium est regnum cælorum;* principaliter sic mea eis gratia donante; dein etiam ipsorum Voto sic commerente. Proinde dixi, Luc. 6. *Va diuitibus:* Et Mar. 10. *Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum. Facilius est Camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in regnum cælorū.* Quare id omne Deo rectè vouetur, quod Deo teste bonum esse, gratumque illi scimus: tale est Paupertatis voluntariæ votum: ergo rectè vouetur.

3. Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende. &c.* Quia rectum est vouere, ac perfectum, ideo ad id hortatus sum: præmumq; proposui, vt traherē pellectos.

4. Huc